Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 517
Quelle:
Copyright:

Hexaemeron, LL. de Paradiſo, et *de Cain et Abel* complexum, cujus lectio ſatis proba eſt. Ad finem *L. V. de Paradiſo* non habentur illa verba: *Fiat nobis mane dies ſextus;* et *de Cain et Abel* ultima Περικοπη: *Unde in Lamech ſeptuagies ſepties vindicatur* &c. vel evulſa eſt, vel nunquam fuit adſcripta.

CCLXXXVII.

U. 181 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 293. f. nitide per duas columnas exaratus, rubricis diſtinctus, et oblatus *Collegio Ducali* a M. *Stephano de Egenburga* civitate *Auſtriae* infer. qui anno 1433. Academiae Rector, dein ad D. *Stephani* Canonicus fuit, exhibet ſequentia: I. *Incipit exameron Tractatus S. Ambroſij Epiſcopi de die I.* Ita quidem: *Tantumne opinionis aſſumpſiſſe ſibi homines videntur* &c. ut edit. *Maur. Pariſ.* 1686. T. I. *col.* 1. f. Verum, ubi haec Editio τὰ Ἑξαημερα *Libros* tantum VI. cenſet, noſtra ad *Libros* IX. progreditur; ita enim Rubricae: *Incipit de die ſeptimo. Incipit de die octauo. Incipit de die nono.* Quid iſtud? Adtexti ſunt non prorſus incongrue *Ambroſii Liber de Paradiſo*, et *Libri II. de Cain et Abel.* En tres noſtros redundantes, qui in Editis *Hexaemeron* pone ſequuntur. Neſcio, an Editoribus ejusmodi Exemplar occurrerit. Noſtrum ſatis emendatum eſt, ſed ultimi Libri περικοπη de *Lamech* deficit, quod jam ad alium etiam Codicem notavi.

II. *fol.* 92. p. 2. *Proſper de uita actiua et contemplatiua, et continet tres libros.* Ad *Julianum Pomerium* pertinere iſtud Opus, dixi alio Codice, in quo L. III. c. 15. abrumpebatur. In praeſenti ſolum C. *ult.* hujus Libri deeſt. Praefatio init: *Diu multumque reniſus voluntati tue* &c. et habet incluſum *Capitum* Elenchum, ut in illo Codice, poſt quem continuat: *Itaque iubes ut paucis ediſſeram* &c. quod rectius, quam in Edit. *Pariſ. Proſperi Append. col.* 1. *Pariſ.* 1711. f.

III. *fol.* 133. *Incipit breuiloquium.* Nempe *Bonaventurae* jam alias relatum. Initium eſt: *Flecto genua mea ad Patrem domini noſtri* &c. Ut in edit. *Lugd.* T. VI. p. 5. 1668. f. quae tamen Conſpectum omnium VII. *Partium* non praemittit, quemadmodum in noſtro Exemplo viſitur, quod cetera integrum eſt hac clauſula: *Explicit* &c. *per paulum de nicloſpurga ſcriptum et finitum ſub anno domini M° CCCC° XXVII. ſabbato ante feſtum michabelis.*

IV. *fol.* 217. ut e calce adſumendum, *Liber beati auguſtini de vera et falſa penitencia.* Injuriam fecit Amanuenſis S. Doctori. Titulus hic ad Opuſculum ei ſubpoſitum pertinet, quod rite ad *Append.* T. VI. Edit. *Maur. col.* 231. ablegatum eſt. Quod prae oculis habemus, Sermo genuinus eſt *n.* CCCLI. *De Utilitate agendae Poenitentiae,* qui legitur edit. *cit.*